

I. N. S. S. T.

SPECIMEN ACADEMICUM,
De**COMMUNIO-
NE BONORUM,**Cujus
PARTEM PRIOREM,Consentiente Ampliss. Facult. Philosoph. in Regia
Academia Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

HENRICI HASSEL,

ELOQU. PROFESS. REG. & ORDIN.

nec non h. c. RECT. MAGNIF.

*Bonorum examini modeste submittit.***JOHANNES SÖRSHÄLL,**
*OSTROBOTNIENSIS.*Die XXXI. Maji Anni MDCCXLV.
Loco horisque solitis.

ABOÆ, Excid. JOH. KIEMPE, Reg. Ac. Typ.

VIRO Admodum Reverendo ac Praclarissimo,
Dn. Mag. ERICO FALANDRO,
Ecclesiarum in Limmingo Pastori longe meritissi-
mo, & adjacentis districtus Præposito adcuratissi-
mo, Patrono certissimo, qua par est animi | reveren-
tia ad cineres usque colendo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,
Dn. Mag. PETRO HÆLLBERG,
Pastori Christina - Lapfierdensium longe meritissi-
mo, ut olim Præceptorи fidelissimo, ita, jam Fau-
tori exoptatissimo,

Rationes, Patrone & Fautores, cur specimen bocce Aca-
quo mibi petende sunt; quum enim in memoriam favo-
collatorum, redeo, magis profecto me Vobis obstrictum depre-
are Veltro me exsolvere possim. Interea tamen, ne ingrati nota
erga Vos, Patrone & Fautores, adfectus, serena fronte
datum babere, enixe rogo. DE LIM T. O. M. assiduis semper fati-
salvos incolumesque servare, atq; omni cumulare felicitate, in

Admodum & Pluri-
Nominum

Cultor ob-
JOHANN.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,
Dn. Mag. JACOBO GARVOLIO,
Pastori Ecclesiarum, quæ DEO in Sijcajoki colli-
guntur, meritissimo, Fautori benivolentissime.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
Dn. ANDREÆ CAJANO,
Pastori Paldamoënsium meritissimo, ut antea In-
formatori dexterimo, ita jam Fautori
æstumatissimo.

demicum Nominibus Vestris consecratum volui, non e longin-
rio Vestri prorsus singularis, beneficiorumque in me assatim
bendo, quam ut cartaceo dono, eodemq; levi minerva elaborato,
michi inuratur, velitis hoc in testificationem qualem cunque pti,
placidoque animo suscipere, meque in posterum Vobis commen-
gabo votis, velit Vos, Patrone & Fautores, per multa lustra
Ecclesiæ emolummentum, Vestrorumq; gaudium ac solatium!

mum Reverendorum
Vestrorum

strictissimus
EDRS HÆRE.

Händelödmunnerne i Brabestad/
Chreborne och Högvälaachade/
Herr A N D E R S A L F /
Min H:de l. MorBroter.
Herr P E T T I E R H O U R E E N ,
Min H:de l. Fader.
Herr C A R L K R A N K ,
Min H:de l. Broder.


Santel. Mina Wäl-Gynnare.

Då jag om samfels egendom
Här något tänker skrifa;
Och om all den oordning som
Et sådant bruk fullt gifwa:

Då bör tillika godhet ER
Jag vördsamt mitg påminna/
ER himlen låte mer och mer
All önsklig sälhet winna!

Santel. Mina Wäl-Gynnares

Ödmjuk= hör sainste tienare
JOH. SPÖRSCHÄLL.



§. I.

*Quid communio bonorum in genere
fit, exponit.*

Communio bonorum, nobis dicitur, jus illud, quod vel omnes, vel plures, vel pauci ad rem eandem habent. Bona autem hic nuncupamus res omnes, tam physicas quam morales, ex quibus aliquem percipimus usum. Quid physicum sit, vel morale, hic definire nostrum non est, quum universalissime sint istae notiones. Communionis oppositum est proprietas, quæ ejusmodi jure abſolutitur, quo res ita pertinet ad unum, vel ad paucos, vel ad plures, ut eo modo ad alios non spectet. Exempla in sequentibus dabuntur.

A

Res

2 Res universaliter communes omnem excludere proprietatem, vel ex ipso principio contradictionis constat. Quæ autem vel pluribus vel paucis sunt communes, hæ certo respectu ut communes, alio modo ut propriæ considerari debent. Absolute vero propriæ censentur, quæ in totum & solidum ad unum spectant, & per consequens alios excludunt omnes. Ex hisce constat, communionem ac proprietatem non esse affectiones quasdam physicæ; rebus ipsis inhærentes, sed morales, quæ certos effectus in ordine ad alios homines producunt.

§. II.

Agit de communione primæva.

Quemadmodum res omnes a DEO sunt productæ, ita ratio ordinis exigit, ut primum videamus, quale fuerit illud jus, quod ipse Creator in orbem hunc habitabilem, & quæ suo continet amplexu, concessit Adamo. (Nam illum fuisse primum hominem, a quo originem dicit genus humanum, revelatio docet.) Hoc autem ita concipiendum non est, ac si DEUS Protoplasto dedisset jus definitum atque

3

que determinatum , eumque rotius orbis ter-
rarum dominum constituisset , ut reliqui mor-
tales dominia sua ab illo hereditario jure acce-
perint . Quin potius Adamo & posteris ejus
tantummodo facultas concessa est rebus uten-
di & proprietatem eorum necessitati & usui
convenientem introducendi . Ista rei indoles
plura non exigebat . Nec instrumentum dona-
tionis a Mole consignatum , aliud adstruit .
Hinc pater , concedendam omnino esse commu-
nionem primævam , quam negant Hochstette-
rus in Puff. de Of. H. & C. Exercit. 8 p. 326.
& alii , hac adducti ratione , quod dominium
Adamo divinitus collatum , societatibus dome-
sticis propagatum fuerit . Verum respondemus :
Adamus propter modicam ipsius necessitatem ,
rebus omnibus , quæ in toto orbe nostro re-
periebantur , ad vitam conservandam & com-
mode ac jucunde transigendam non indigebat .
Nec ulla fadet ratio , ut plus illi juris vindice-
mus , quam quo uti valuit . Neque inter po-
steros ejus , præsertim qui multis generationi-
bus ab eo descendebant , orbis ut hereditas
quædam potuit partiri , quem admodum neque

4 partitus est. Et quis jam , quod per occu-
pationem accepit, eo titulo retinere vellet,
quia sit hæres Adami ? Sed an communio
hæc positiva fuerit vel negativa, non operæ
premium existimamus multis dilquirere. Nullum
enim est dubium , quin primi homines multas
res , quarum nimirum abundans erat copia ,
communes habuerint, licet fructibus ex illis
provenientibus , ut propriis uterentur ; atque
communio hæc erat positiva. Negativæ autem
subjacebant omnes reliquæ, ex quibus nemo ali-
quem percepit usum, sed quæ vel communionem
positivam vel absolutam proprietatem subire po-
terant. Ultraque hæcce communio etiamnum
obtinet, ut in sequentibus monstrabitur.

§. III.

Ostendit modum , quo res proprieta-
tem subierunt.

Ulterius investigandum venit , quomodo
dominium introductum sit. Neque hac
de re inter Juris Naturalis scriptores convenit.
Quidam originem dominii partim a divisione
par-

9

partim ab occupatione repetunt; quæ sententia est Grotii, cujus hæc sunt verba; Originaria, inquit, adquisitio olim, cum genus humaanum coire posset, fieri potuit, etiam per divisionem, nunc per occupationem tantum. (*)
Huic assentum præbet Puffendorfius, qui ita loquitur: Cum primum genus mortalium in plures familias dividi cœpisset, distincta rerum dominia provenere ex divisione. Et mox in hunc modum se explicat: Post eam divisionem originarie rem vacuanam acquirit, quicunque eam occupaverit, i. e. qui præ ceteris eam rem adprehenderit, aut in eadem afferenda reliquos prævenierit. (**) Alii autem occupationi soli orum dominii vindicant, ut Titius: Origo ergo, inquit, dominii singularis a facto hominum repetenda est, & hoc quidem non aliud fuit, quam occupatio. Hæc sane pro primo & antiquissimo merito habetur: nam quando universitati, quæ non simul & semel, sed successive existit, nec res communiter habere potest aut solet, (qualem universitatem genus humanum res pra-

(*) De I. B. & P. L. 2. c. 3. §. 1.

(**) De I. N. & G. L. 4. C. 6. §. 2.

presentat) aliquid indefinite donatur, tum ex voluntate donantis, primi homines ea utique prærogativa gaudent, ut occupando dominium, contra alios valitetur sibi acquirere queant, immo in universum ea vis occupationi, voluntate donantis tribuitur, ut quivis per eam, rem nullius sibi comparare possit, modo plus justo sibi non asserat, sed intra leges socialitatis subsistat, nec opus est ceterorum, qui excludantur, consensu, nam ex ordinatione donantis, vim excludendi occupatio sortitur. (*) Verum agitur de facto quodam, cuius veritas deficiente fide historica, certo definiri nequit, quum plura sint possibilia. Atque nemo jure inficiabitur, quin pri mos inter homines, stirpis communis memores & benivolentiæ mutuae studiosos, aliqua conventione intercedere potuisset, quis cum sua familia hos, quis illos terræ tractus inhabitaret excooleretque, ne inter ipsos unum cundemque locum petentes collisio existeret. Conf. Gen. 13: 8. 9. Neque donatio a Creatore indefinite facta, neque eidem superstructa juris æqualitas im-

(*) Ad Puff. de Of. H. & C. c. 12. obs. 278. n. 2.

impediebant, quominus primi orbis incolæ il-
las ingredierentur rationes, quæ paci & con-
cordiæ convenientissimæ essent. Hæc tamen
partitio conventionalis non erat ejus in-
dolis atque divisio patrimonii, quæ pro par-
te rata fieri solet ac debet, quum in tanta
terræ amplitudine abunde suppetteret, quod
quilibet sibi adquireret. Conventionalem, quam
diximus, possibilem tantum fuisse statutum,
an vero talis extiterit, in medio relinquimus.
Quum autem homines longius longiusque a se
invicem discederent, non videmus, quomodo
ista divisio amplius locum haberet, prælertim
quum sine molestia fieri non posset, ac præ-
terea exigui esset usus. Hinc licet divisionem
non prorsus excludamus, occupationi tamen
plurimum deferre nulli dubitamus. Idem jux-
ta contendimus, res illas, quæ jam dominio
subjacent, non semel atque simul proprias esse
factas, sed sensim, prout necessitas ac usus id
requirebat, quum multiplicaretur genus humanum
& hac ratione abundantia eorum, quæ vitæ
sustentandæ interviunt, subinde minueretur.
Jam vero unus adquirendi modus originarius
remanet occupatio.

Monstrat res, quæ proprietatem subire nequeunt.

Exponendum jam est, quænam res & cuius qualitatis sint, quæ proprietatem subire nequeunt. Objecta dominii talia esse debent, ut hominibus hoc aliquem fructum mediate vel immediate impertiant, per se aut per coherentiam cum alia re. Hoc ut illarum custodia aliquo modo sit possibilis: frustra enim id in possessionem nostram vindicare conatur, quorum usu nullo modo alios prohibere valimus; rationis quoque sanæ est, plura non adfectare, quam tueri possumus. Hoc ut fructus, ex illis redundans promiscuis omnium usibus non sit sufficiens; quod enim sic est comparatum dominio mancipare supervacaneum foret. Hinc sequitur, res omnes usus inexhausti, etiam cum toni generi humano manere communes, quum sufficiant omnibus, & singulis iisdem indigentibus patere debent. Nec ulla suppetit ratio, cur homines in res istas dominium habere velint, quem non

9

non magis ipsis prosint, ubi propriæ factæ fuerint,
quam quum in communione relinquuntur. Inter
ejusmodi res dominii incapaces referuntur aër,
aqua profluens, lumen atque calor solis, quorum
utrum inexhaustum esse quivis illico largitur. Ita Pe-
tronius scribit: Quid non commune est, quod natu-
ra optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna in-
numerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit
ad pabulum. Quid aquis dici formosius potest?
in publico tamen manant. Ita quoque Latona
apud. Ovid. Libr. VI. Metamorph:

• • Usus communis aquarum est.

Nec solem proprium natura, nec aëra fecit.
Nec tenues undas: ad publica munera veni.
Quod ad oceanum attinet, etiam illum commu-
nem esse debere statuimus. Ineptum enim foret
ac stultum ejus dominium sibi vindicare velle,
cujus custodia impossibilis deprehenditur. Et quis
crederet, genus humanum id uni populo in pecu-
lium relieturum fore, quod usui universalis destina-
tum est? Qui vero dixerit vastum illud mare
a DEO uni genti donatum esse, hunc tabulas
donationis proferre oportet. Nunquam enim
hoc argumentis ex ratione desuntis probari
poterit. Quid? quod, si rem penitus consi-

deremus, id perinde foret, ac si quis assiceret terram universam uni populo divinitus datam esse. Nam, quæ in variis orbis habitabilis partibus exstant, vel naturæ vel industriæ munera, hæc beneficio commerciorum aliquo modo sunt toti humano generi communia. Commercia autem potissimum exercentur navigatione. Hæc enim, bona orientis cum occidente, austri cum septentrione, & omnium terræ plagarum inter se communicat. Qui igitur universi maris dominus foret, hic solus commercia in potestate haberet, & generis humani opes pro lubitu dispensaret, adeoque idem prope caperet emolumenntum, ac si totam terram possideret. Quod communio hæc ad sinus, & loca hitoribus propiora, se non extendat, per se planum est. Hæc enim custodiam admittunt, & propria fieri possunt, secundum nostrum illud: Den som a- ger land/ han ager off strand. Quod anima- lia spectat, quæ uni loco non adhærent, sed modo huc, modo illuc transmigrant, & proinde nulla custodia includi possunt, hæc etiam in se spectata in communione primæva manent. Id vero non obstat, quo minus jus eadem hoc vel

vel illo loco capiendi sit proprietatis capax.
 Noxia animalia cuiuslibet violentiae & insidiis
 impune patent, non tam ex principio commu-
 nionis, quam quia interest humanæ societatis
 eadem esse quam paucissima. Res etiam deper-
 ditæ, quarum possessor ignoratur, nec inveniri
 potest, in communionem primævam recidunt,
 adeoque cedunt occupanti, nisi leges civiles
 vel alia conventiones speciale quid definiverint.

§. V.

Ostendit in civitatibus quadam esse communio.

Q'lamvis homines in societas civiles coive-
 rint, inter alias etiam hanc ob causam,
 ut eorum, quæ cūlibet sunt propria, tutæ redi-
 deretur possessio; non ideo tamen omnis in ci-
 vitatibus bonorum communio extirpavit. Mitti-
 mus jam, quæ in proprietatem venire neque-
 unt, de quibus in antecedentibus dictum est;
 Dantur alia, quæ singulis quidem civitatibus
 propria, omnibus juxta civibus communia sunt.
 Summum imperium, sive penes unum sive plu-
 ges id residat, universos complectitur & sub e-

jus tutela cuncti delitescunt. Bonus Princeps inter maxima utique bona, quæ mortalibus e-
venire possunt, jure meritoque æstimatur, quod
idem valet de quolibet supremo magistratu,
modo suum recte officium administret. Sena-
tus etiam, collegia, regni ærarium, exercitus,
clastes, munimenta huc pertinent, imo leges,
& varia, quæ illis asseruntur jura, infimis
cum supremis communia. Sic verum esse de-
prehenditur, quod Cicero dixit, Patriam esse
communem omnium nostrum Parentem.

§. VI.

*Aliam quandam in civitatibus communio-
nem attingit.*

Dantur etiam aliæ societas qvarum
membra multa habent communia. sic in
civitate varii sunt ordines, certis instructi privile-
giis, quæ omnes eam constituentes participant.
Provinciæ, urbes, territoria, suis singula juri-
bus gaudent, multisque præterea utuntur commu-
nibus. Idem de opificiis, mercatorumq; societati-
bus tenendum ut cæteras, iam prætereamus. Circa
com.

communiones hæc particularēs observandum,
ne communioni reipublicæ universalī officiant,
vel alio modo daminus importent. Nam, si præ-
ter necessitatem dividantur cives variis in clas-
ses majores, quarum singulæ suis sint juribus
munitæ, in una civitate plures exiguae qua-
si res publicæ existunt, quæ vorticū in-
star Cartesii sibimet invicem reluctantur; atque
tum suspicione, similitates & arcani quidem
labores nunquam deficiunt. Quod si vero in-
dulgeatur uni vel alteri societatum istarum, quod
aliis præjudicio esse videatur, non potest non
hiri, ut in hisce corporibus vis clastica forti-
us sitatur. Sic firmissimum illud salutis publicæ
fundamentum concordia nutat, & gravi ad-
modum periculo exponitur, ceu ut alia tace-
amus exempla, satis luculenter ostendit populi Ro-
mani divisio in Optimates ac plebem, quæ infini-
ta certamina peperit, nonnisi cum publicæ liber-
tatis jactura tandem terminata. Quantum societates
opificium artium manuariarum incrementis ob-
stiterint, nimia testatur experientia; quæ pro-
inde collegia si non omnino tolli saltē intras
gyros communi civitatis bono metiendos
coēr-

coērceri debere, unanimis est prudentiorum sententia.

§. VII.

Cujus sit indolis communio bonorum inter conjuges, exponit.

MAJOR longe est communio bonorum inter conjuges, quod ipsa societatis hujus natura ac indoles exigit. Connubia enim non solam propagationem sibi habent propositam, sed etiam honestam ejus educationem, quæ communem œconomiae curam includit. Neque negari poterit, œconomiam tum optime administrari, quando uterque conjugum arctissima bonorum societate conjuncti, si non æqualem, tamen æqualitati proxime accedentem industrie fructum se accepturos fore intelligent, quum si contrarium obtineat, cuius deterior fuerit conditio, ille vel illa mercenariam tantum operam rei familiari impendat, alii potius quam sibi acquirens. Atque propinquiorem illam participationem bonorum, conjuges inter, saltē a pug gentes moratores vulgo iuvaluisse constat;

probus

prout etiam uxor statum sequitur matiti, atque honoris ejus particeps evadit. Verum nec in dubium vocari potest, quam diximus communionem, & pactis & legibus & usu populorum multum aliquando limitari. Neque matrimonio ita innexa est universalis bonorum societas, ut sine hac illud ratum esse non possit. Quis enim ignorat conventionibus antenuptiis aliter definiri posse? In primis per longæ illustres, ubi foeminas generè inferiores in thori societatem adsumunt, portiunculam tantum bonorum illis nonnunquam adsignant. Neque regna hereditaria conjuges inter communicantur, quod ut plura alia prætermittant exempla, connubium Philippi secundi Hispaniæ Monarchæ cum Maria Angliæ Regina satis ostendit, quo inito, suum uterque patrimonium sibi retinuit. Secundum patrias leges neque marito in prædia & fundos rusticos uxoris proprietas adquiritur, & vice versa, licet fructus inde provenientes, in communionem veniant. De cetero consiat, secundum nostra instituta, bonorum rusticorum ac urbicorum mobilium & immobilium, diversam esse matrimonialem communione

nem, cui diversa etiam privilegia varietatem induunt.

§. VIII.

Societas quasdam recenset, in quibus plena bonorum communio viguit.

Exstiterunt quoque societas, que bonorum omnium communionem habuerunt. Ut Pythagorici, agnoscentes secte suæ auctorem Pythagoram, qui omnium primo Philosophi nomine claruit, vixitque sexto, secundum alios, septimo ante natum Christum seculo. Hic amicorum omnia esse communia affirmans, instituit, ut discipuli, quos post explorationem, ingenii in ludum suum admiserat, quibusque quinquennale silentium indixerat, facultates suas omnes in unum conferret, communiasque facerent, ea tamen conditione, ut, si ejusmodi vita genus alicui non placeret, si que prius, quam illos quinque annos docimaticos absolvisset, e schola ipsius excederet, bona illi retribuerentur. Hoc institutum discipuli ejus quoque secuti sunt, ut Diogenes Laëris

Laërtius testatur (*). Speciem communionis quoque reperimus fuisse apud Cretenses, de quibus memoratur, quod cives omnes utriusque sexus, uxores, liberi, senes, juvenes, egentes, divites, simul epulari consueverint: sua tamen cuique propria fuere, singulis tantum erogabantibus, quantum universis ad communem convictum sat-
tis esse videretur. De his, ut etiam Massagetus & Spartiatis contuli potest Johan. Bodinus. (**) El-
senis inter Judaeos quoque omnia fuere com-
munia; qua de re Iosephus in hunc modum
narrat: *Facultates in commune possident, scilicet Esseni, nec aliquis dives magis utitur suis bonis, quam qui vis nibil possidens. Atque hoc instituto vivunt virorum supra quatuor millia, nec uxores haben-
tium, nec seruos, quod alterum ad injuriam na-
turae communis pertinere censeant, alterum tran-
quillitati vita parum commodum, quare per se ipsi
riventes sibi ministrant.* (***) Præterea fit men-
tio in ipsa Scriptura Sacra communionis, quæ
inter primos christianos Hierosolymis existit; qui

C

bo-

(*) Libr. VIII. p. 483.

(**) De Republ. l. I. c. 2. pag. 18.

(***) De Ant. Jud. Libr. 18. c. 2.

bonis mobilibus atque immobilibus venditis, pecunias ex illis acceptas, ad Apostolos detulerunt, ut de illis cuique tantum distribuerent, quantum ad sustentationem aliasque necessitates opus haberet. Nimirum, qui erant unus spiritus & una anima, possessiones quoque suas volebant esse communes. Quamdiu haec communio Ecclesiae Hierosolymitanae duraverit, de hoc inter Scriptores non convenit, videtur tamen diu manere non posuisse. De cætero, cuius indolis fuerit, fusius nobis in sequentibus exponendum est. Anabaptistæ, qui seculo XVI:to exorti sunt, communionem bonorum Apostolicam denuo revocandam esse urseré. Nonnulli de Labbadistis idem referunt, quorum tamen sententiam aliter explicat Arnoldus. (*) In cœnobiis autem & antiquis & hodiernis plena etiamnun viget bonorum communio, de cuius moralitate agere nostri non est instituti.

(*) Kirch. und. Reh. Hist. and. Theil. c. 21. §. 21.



TIL AUCTOREN.

Skal tankans winga sig åt sannings målet kasta,
Skal rena Liusek strål til medel puncten hasta,
Bör utan omväg den sin bane snörrått gå,
Gå bde des spegelsat, sin rena blickning få.

Men ad! hur mången plär des dyrd i wanwyrd hålla?
De swälja torn och slätt; men ringa dres sand fälla,
De ndras endast af sin ringhets torra barr,
För sådes kärthro ta de magra moars starr.

De plå bland Purpursårg en neslig swärta många;
Och ibland solens glans wil mången skuggor tränga.
Han wil af Lager få en smaklös fotebåll,
Och giöre af täcksta bild det sygsta Satyrs tråll.

Ja mången, mången wil så falska skylar binda,
Der han i rensta såd wil wiñad swingel linda.
Men den som skiljer guld från flagg och jordiskt snas,
Tax, kärnan, stalet flår i flux i tusend fras;

Han skall få se sin frucht i härlig frode lysa,
Så skall huart enda av mång tusend kärnor hysa.
En liuslig Zephyrs flåcht skall ruska om des tråd,
Och himlens morgondagg besuchta all des såd.

MIN **BRÖD**, som ständigt fölt sit ådla sunne höja
Til wishets höga spez, der han nu söker röja
Den statten han förgiömt uti sin wetkaps widd,
Som ser sin lärdom ut til mångens nyta spridd.

Bör almän heder vård af råttwist öga dömmas,
Des flit ei ned i stoft och kluна tankar giömmas,
Jag giöre och hwad jag kan, och står i dessa ord
Min fägnads rena drift af redlig mening giöder.

CHRIST. **BJÖRNKLUND.**

Politissimo atque eruditiss. Dn. Auctori,
Amico singulari.

Emper nobis persuasum fuit, qui per multas difficultates veram & cum virtute non fucata conjunctam eruditio- nem sibi compararunt, illis maiorem laudem deberi, quam quibus haec via non adeo difficilis fuit. Ob hanc rationem etiam Tibi, Politissime Dn. Auctor, applaudo, qui adversa institutis Tuis veniente fortuna, neutquam animum despondisti, sed eo impensiorem operam studiis navasti moribusque bone- bus, adeo ut plurimis Tuae etatis, quorum conatibus omnia obsecundarunt, palmam præripueris. Non est meum laudum Tuarum præconem agere, quas loquuntur vita Tua honesta & præsens dissertatio egregia. Gratulor tantam Tibi ex animo laudabiles Tuos profectus, voreoque velit DEUS T. O M conatibus Tuis honestissimis gratia sua favere, ut ver- gant in Ejus gloriam, & Tuum aliorumque plurium com- modum!

Amica manu adposuit

GUSTAVUS BOGMAN.

O.B.